

lum suum perfecisse dicitur. Huc quoque pertinent crates ferreæ ante ostium cœmeteriorum, & valvæ sua sponte, cùm apertæ fuerint, concidentes, seque claudentes ipsas, ne brutis facultas sit adeundi.

Verum nunc tempus est, vt hoc capite de communis sepulture loco, situ, figura, ornamentis concluso, progrediar ad alia, quæ sunt non paulò maioris momenti, quàm de quibus huc vsque egimus.

*De expiandis adibus ac rebus
funestis.*

C A P V T V I.



ORDINE igitur sequitur, vt quum iam veleducti ægri, & qui cum eis fuerunt suspecti: vel elati mortui fuerint, de ædium, ac rerum, quæ in illis sunt, expiatione aliquid dicamus. Hæc enim industria ad multa pertinere videtur, imò sine qua reliqui labores omnes nequicquam adhibentur, malumque subinde recrudescit, imò post diuturnam quietem, quasi novis resumtis viribus atrocius interdum, quam ab initio, sævit. Nam sanè quidem hercle res digna admiratione est,

cur

cur tot sæpe homines vna in domo, in qua mor-
 tuus aliquis est peste, pereant. Quod cum ex ve-
 nenofo aëre illius funesti loci accidere nulli du-
 bitemus, prorsus imitanda nobis est consuetu-
 do veteris testamenti, vbi lepra illi ætati vsitata
 non solum corporibus, sed & vestimentis, linte-
 aminibus, parietibus, aliisque domus partibus
 adherere consuevit, vt non modò lauandæ illæ
 res essent, sed interdum quoque exurendæ. Pa-
 ri, dico, ratione hîc agendum, vbi venenum pe-
 stiferum non minùs omnia contaminare solet,
 ac non rarò in rimis murisque se oculit, ac ali-
 quot annos innoxium latet, donec nocendi oc-
 casionem nactum magna vi erumpat, & quot-
 quot impuris corporibus accedunt, ore alijsue
 corporibus meatibus hauriunt, inficiat, neque à
 nocendo desistat priùs, quam vel idonea ad re-
 ciendum subiecta remoueantur, vel ipsa mali-
 gna aëris qualitas sufficienter corrigatur, & dis-
 sipetur. Sic refert Alex. Benedictus de culcitra
 quadam, quæ negligentia familiæ illota & in-
 concussa longo tempore in angulo reiecta iacu-
 erat, cumque post annos septem prolata, & in v-
 sum recepta est, quæ interea temporis ratione
 quietis & frigoris fuerat innoxia, rursus loci ho-
 minumque calore excitata & per poros attra-
 cta, virulentiam suam cum internecione totius
 domus exeruit. Simile quippiam recitavi supra
 de pellicea veste, & alijs quibusdam infectis re-
 bus, quæ mihi comperta sunt. Manifestum enim

& indubitatum est, aërem pestilentem longo
In append. tempore in eiusmodi locis & suppellectilibus
cap. 9. lib. 4 hærere posse: qui si quando excitetur, & putri-
de re, Var. dum impurumue corpus inuadat, perfacile ac-
 cendit. Narrat H. Cardanus verè πολυίσωρ, in
 villa quadam propè Mediolanum, Lachiarella
 dicta, dum anus quædam sepeliretur, inuentas
 duas arcas pannis linteis que plenas, annis propè
 triginta bellorum metu absconditas. Quas cum
 apertas curiosius, vt moris est, requirerent, nihil
 quidem corruptum in illis inuenère, sed quot-
 quot tamen interfuerunt, aut quæ recondita ar-
 cis essent, seu tunc, seu etiam post tractauerunt,
De Epidē. intra triduum interiisse. Marsilius Ficinus quoq;
cap. 24. 25. asserit, parietes, ferramenta, & quæ è lignis sunt
 extructa, nisi corrigantur lotionibus, suffumi-
 gijs, ignibusque, integrum annum aut eo etiam
 amplius suam retinere venenositatem. Vestes i-
 tem laneas, & id genus, nisi sæpè euententur, la-
 nentur, suffiantur, vel ad ignem, ventum, so-
 lémue exponantur, triennium & ultra perma-
 nere infecta. Nolt quidem (ait) mucidi odorem
Lana diu aurantis, in qua mucuerit capsula, multos ser-
*retinet ve-*uari per annos: Similiter suo qui prius erat
nenum. bombyci musci, diu remanet odor. Equidem vt
 ignis oleum, sic nutrimentum huius veneni est
 lana: Et ita quidem nutrit hæc lana venenum,
 vt non modò conseruet ipsum, sed & augeat, ac
 fortificet. Item alio in loco: Quantum verò (in-
 quit) ad solius aëris (intelligit autem commu-
 nem

nem, non priuatum aerem) dispositionem, vna
 sufficit angaria, ita vbi ad tres menses immunes
 ab hoc morbo omnes, quicumque sunt, perstite-
 rint, iudicari possit, aerem iam fore purgatum.
 Sed esto cautissimus in appropinquatione &
 contactu eorum, quæ tenaciùs quàm aer, vene-
 num retinent. Procinctus fornacium in muris *Alex. Ben.*
 diutius quam ligna venenosam seruat qualitatē. *1. de peste*
 Quare purificanda sunt diligenter omnia, igni- *cap. 3.*
 bus, lotionibus, euentationibus, perfumigijs, o-
 doribus, &c. Purificantur autem homines ple-
 runque quatuordecim dierum spacio. Domus,
 lignamenta, &c. viginti & vno: Panni, vestimen-
 ta & similia, viginti octo. Equi, pecunia, supelle-
 ctilia, sarcinulæ & huiusmodi, nisi admodum
 cautè egeris, venenum diu seruare solent. Quare
 vigil, cautus & prudens esto, cunctis que ordina-
 tim prouideas. Hæc ferè hucusque Marsilius Fi-
 cinus, à quorum verborum fine vt ego exor-
 diar, nostros quoq; conseruatores, ad quos mi-
 hi redeundum est, admoneo exhortorq; omni-
 bus modis, vt singularem prudentiam in hac re
 adhibeant, ac diligenter cunctis ordinatim pro-
 uideant. In primis autem, vt per quos hæc expi-
 atio, quam dixi, perficiunda sit: Deinde quem
 admodum fieri debeat, præcipiant.

Quamobrem si adhuc sani viuique in ædibus
 funestis reliqui fuerint, illis ipsis ea cura commit-
 tenda est, addito interdicto, & pœna negligen-
 tiæ proposita: Sin autem domus sit hominibus

*Theodor.
Taberna
mont. cap.
18. de peste*

vacua, tum per vespillonos, elatores, pollinctoresque, quos diximus, hoc negotium peragendum. Hi autem primùm omnium ianuas fenestrasque aperient, vt ventus permeet liberiùs. Deinde ignem instruent ex idonea materia, vt est quercus, Iuniperus, fagus, salix, &c. quò aer vniuersæ domus purificetur: Tertio si quid est parui momenti rerum, velut pannorum, vestiù ac lineamentorum vilium, vel in profluentem abijcient, vel seorsum in loco ab hominibus remoto exurent. Quarto scamna, mensas, preciosiores vestes, pannos, lectos singulari cura non abluent modò, sed etiam lixiuio macerabunt, concutient, auræq; exponent. Si enim ita non fiat, timendum est, ne nõ' satis venenositas euauerit, & paulò post recrudescat. Parietes autem ferramentis abradantur, ac noua calce delibentur in albenturq;. Quintò domus tota sæpiùs suffitibus illustranda ex folijs quercinis siccis, vel granis lignisq; Iuniperi, vel thure, vel rebus similiter odoriferis. Sextò vbi hæc omnia, ea qua dixi industria, ordinatim studiosèque perfecerint, tandem conspergent omnia pauimenta herbis odoriferis, vt Saluia, Issopo, Lauendula, Amaraco, Ocymo, Ruta, Spicanardi, Roremario, Rosis, Nymphæa, Violis, folijs vitium, Salicum, &c. pro ratione temporis anni, quæ hîc singulatim persequi non est opus. Atq; hæc omnia longè diligentius & laboriosius in subterraneis illis habitaculis fieri oportet: Quia dum hîc

non